



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exemplorum Libri Tres

Liber Tertius, Sive Exempla Divinae Irae, Per Opera Poenitentiae, Nobis
Leniendae - Per Quadragesimam Anno M. DC. XLVIII. narrata

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 10. De mensura peccatis consittuta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48194)

mat incuria, dum nemo est, qui vel opportuna praebeat, vel importuna prohibeat: ita & nobis, dum nemo sanus est, sed omnes languemus, alij maiore, alij minore ex parte, nemo est, qui curet: omnes enim indigent cura. Icilinum haeresis, ambitio, odium, immanitas ad exitium adduxit. O quam late nunc ista omnia dominantur! quanta odia, vindictae, imprecationes, insidiae, proditiones gliscunt! quae luxuriae infania, quanta intemperantia viget? quanta rerum sacrarum incuria? quanta vel obliuio, vel ignorantia eorum, quae ad salutem animae pertinent? quantus contemptus Ecclesiasticorum, & spiritualium medicorum? quanta nausea admonitionum? ut non tantum haeresin, sed atheismum homines passim profiteri videantur.

Et Deus non irascatur? Deus non exurgat? Immo omnes Angeli in caelo, qui alioqui humanum genus tueri amant; omnes Sancti, qui alioqui solent esse miserorum patroni; tanta contempta mortalium superbia atque impietate, diuino zelo accensi, clamant: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant, qui oderunt eum, a facie eius. Sicut deficit fumus, deficiant.* Et diligenter aduertant hic, qui, peccato vno commisso, tam facile cetera adiungunt, & putant perinde esse 100. ac 1000. scelera confiteri, vna opera, & aequè paucis verbis omnia fieri. Non est ita. Sicut enim quidam parentes, etsi non statim filios suos, ob quouis delicta, puniunt; sed in sublimi pariete, quò liberi oculos, non autem manus ad delendum mittere possunt, singula annotant ad metum illis incutiendum, donec ad certum, qui ipsis placet, numerum perueniant: ita Deus, qui omnia in mensura, & numero, *Sap. 11. 12.* & pondere disposuit, regnis, & prouincijs, & urbibus, & ipsis etiam hominibus certam mensuram, numerum, & pondus constituit, ad quae si perueniant, adest etiam cum communi flagello, ut eos plectat, aut etiam omnino extirpet: quia meruerunt, & diuturna impunitate peccandi licentia in immensum augetur, atque ad alios etiam exemplum serperet, ac praecipue etiam ut alij istorum poena moniti respiciant. Hinc non est mirum, si Albericus & Icilinus tam diu permissi sunt grassari, donec cum tota familia extinguerentur. Tota vita Icilini fuit LXV. annorum, quam breue tempus? Et Italorum, vsq; dum Eremita eos interituros mone-

X.

DE MENSURA
PECCATIS
CONSTITUTA

Psal. 67. 2.

Sap. 11. 12.

neret, ni poenitentiam agerent, tempus fuit vix decem annorum. Niniuitis autem Deus, per Ionam, indicauit, tantum adhuc 40. dies esse constitutos. Quod ita etiam alijs vrbibus & regnis, & communitatibus, euenire, diuinæ litteræ haud obscure docent.

Geni 19. 16.

Generatione quarta reuertentur huc; ait Dominus ad Abraham, nec dum enim complexa sunt iniquitates Amorrhæorum: vt excindantur, & semen tuum eorum terram occupet. Quia id contigit, post quadringentos annos, tunc enim & illorum, & ceterarum gentium Chanaan completa est mensura iniquitatis, vt Israelitis extirpandi traderentur. Qua de causâ & Christus minitans

Matth. 23. 32.

dixit: Et vos implete mensuram patrum vestrorum, qui Prophetas ad eos missos occidendo magnum sibi impietatis cumulum struxerunt; vos Dominum Prophetarum occidite, vt mensuram eorum impleatis, & veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est

Ib. v. 35.

super terram, a sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zacharia filij Barachia, quem occidisti inter templum & altare. Ita scelerum mensurâ impleâ, quæ diuinæ iustitiæ decreto constituta erat,

Gen. 6. 12.

primæuo mundo, diluuium immissum est. Cumq; vidisset Deus terram esse corruptam (omnis quippe caro corruerat viam suam super terram) dixit ad Noë: Finis vniuersæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra. Ita impletâ mensurâ Sodomitarum, sulphur & ignis de cælo cecidit:

Gen. 18. 20.

Clamor, ait, Sodomorum & Gomorrha multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis. Vt enim Praefecto aliquo subditos Domini sui nimium premente, Dominus etli non statim vnus clamorem audiat, clamore tamen nimium inualecente, & totius multitudinis vocibus vel nolens excitatur ad vindictam: Ita Deus, tot peccatis in cælum clamantibus, adigitur ad verberandum. Quin finis vniuersæ carnis, in excidio totius Mundi, tunc erit, cum terrâ hæresi, magia, idololatria, & atheismo referâ, totius orbis mensura implebitur. Denique vniuscuiusque peccatoris interitus & perditio tunc venit, cum mensura, quàm ei Deus constituit, implebitur.

XI.

*QVO MODO
HÆC MENSURA
NON A NO,*

Quid dormis igitur, ô peccator? quid peccatum peccato accumulâs? fortasse hac nocte, fortasse hac blasphemia, hac ebrietate, hoc adulterio, hac fornicatione, hoc furto, hac contumelia
mensura